



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Cvrsvs Theologici ...**

Ea Brevitate Conscriptus, Qvam Tot Tantarvmqve Rervm Amplitudo Et  
Varietas Patitvr ...

Quas Prima Pars Et Prima Secundæ Divi Thomæ Complectvntvr -  
Qvæstiones Insvper Ad Mores & praxim spectantes, quæ peculiarem cum  
Scholasticis habent connexionem, declarantur

**Carleton, Thomas Compton**

**Leodii, 1659**

Sect. II. Resolvitur Quæstio circa malitiam actus externi: Vbi etiam  
declarantur quædam circa actum internum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13718**

SECTIO SECUNDA.

Resolvitur questio circa malitiam actus externi: ubi etiam declarantur quedam circa actum internum.

I. In actu interno primario aliquo modo resistit bonitas & malitia.

**H**is positis, dico primo: actus internus est aliquo modo primarie bonus & malus, ita Salas, Conineck, & alii supra relati, & admittere videtur Vasquez loco citato: tenet etiam Durandus in 2. d. 42. q. prima, & alii. Declaratur & probatur conclusio; actus enim internus est prius natura externo, & ab eo plane independens: unde quando quis per actum internum malum intendit aliquid externum malum operari, etsi Deus suspenderet concursum ad actum externum, internus adhuc maneret malus.

II. Illud est bonum & malum primario, quod est primario liberum, quod competit actui interno.

Secundo probatur: in tantum aliquid est bonum vel malum moraliter, in quantum est liberum; ergo illud erit bonum & malum primario, quod est primario liberum: sed actus internus est primario liber ut constat, cum per se & independenter ab externo sit liber, hic vero non nisi participative ab interno: cum itaque actus internus sit primario & formaliter liber, erit etiam primario & formaliter bonus & malus; dissonantia quippe actus magis proprie liberi gravior est contra rationem, quam actus non ita proprie liberi.

III. Actus externi malitia major est vel minor secundum malitiam actus interni.

Probatur tertio: ex sola mutatione actus interni crescit malitia actus externi, ita ut idem omnino actus externus majorem habeat malitiam, quando actus internus est intensior aut vehementior, quod verum etiam est de bonitate: ergo signum est aliquo saltem vero sensu bonitatem & malitiam primario reperiri in actu interno. Confirmatur: actus internus subinde est malus quando nulla est malitia in actu externo, ut cum quis vult actionem aliquam externam, alioquin in se bonam, invincibiliter tamen putans eam esse malam: in hoc casu actus internus est malus, & nihilominus nulla est malitia in actu externo: ergo malitia hic est primario in actu interno: quæ clarius constabunt ex conclusione sequente.

Solus actus internus est aliquando malus.

IV. Actus externus totam malitiam accipit interdum ab interno.

Dico secundo: actus externus, aliquando saltem, non solum non est primario malus respectu interni, sed nullam omnino habet malitiam nisi in quantum eam recipit ab interno: ita S. Bonaventura in 2. dist. 42. art. 1. q. 1. Albertus magnus art. 1. Richardus art. 1. q. 1. Egidius q. 1. art. 1. Gabriel q. 1. art. 2. conclusione 1. Ockam in 3. q. 10. & alii.

V. Ostenditur quo pacto actus internus aliquando vitiat externum.

Veritas hujus conclusionis in iis actibus externis constat, qui alioqui liciti sunt, & ex eo solum redduntur mali, quod mala intentione fiant: sic dare elemosynam, ut pauperem ad peccatum pertrahat, studere ut temporis quo adire templum debeat obliviscatur, & hoc modo Sacrum omittat, sunt actiones male, non quidem ex se seu ex objecto precise, cum utraque actio secundum se honesta sit, sed mere vitatur ex fine malo apposito, sicque malitiam suam primario & adæquate haurit ab actu interno malo. Hoc etiam probat confirmatio supra numero tertio posita.

VI. Actus externus quo pa-

Dico tertio: licet nulla sit malitia moralis, ubi non est libertas, ut constat, cum morale & libe-

rum juxta superius dicta sit idem, nihilominus sicut actus internus communicat interdum denominative malitiam externo, ita & externus interno: quod in iis actibus externis contingit, in quibus ipso facto quoddam liberè fiant reduct malitia. Ac proinde si hoc modo sumatur denominatio mali, & non causaliter, prout scilicet actus internus est causa externi, dici potest talem actum externum esse primario malum, internum secundario.

Et interdum communicat malitiam interno.

Ratio est: hujusmodi siquidem actus, furtum verbi gratia & homicidium eo ipso quod intelligantur fieri liberè, sunt mali: unde precise non est opus à voluntate quidquam recipiant præter libertatem; licet enim nequeat actus aliquis externus esse malus moraliter, nisi sit liber, si tamen ipso facto quoddam liberè fiat sit moraliter malus, tribuendo singula singulis, malitiam habet à se, libertatem à voluntate. Quantumvis ergo volitio, seu actus internus à quo procedit externus sit malus, actus tamen hic non est malus, ut procedit à volitione illa quæ mala, sed quæ libera, cum ipso facto quod intelligatur actus hujusmodi externus procedere à volitione libera, intelligatur esse malus, idque etsi quis mente præscindat à malitia illius actus interni, & attendat ad solam ejus libertatem: ergo actus externus precise accipiendo libertatem ab interno est malus moraliter, ergo malitia hic quoad formalem conceptum præcipue residet in externo. Jam vero e contra, actus iste internus quantumcumque consideretur ut liber, non concipitur eo ipso habere malitiam, sed hanc habet prout respicit actum illum externum malum. Hoc itaque sensu malitia primario residet in actu externo, secundario in interno. Et secundum hæc intelligi debet prima Conclusio.

VII. Et actus externus sit malus non requiritur aliquando nisi ut solam libertatem accipiat ab interno.

Libertas in hoc casu tribuitur actui interno malitiam externo.

SECTIO TERTIA.

In quo primario resideat bonitas actus externi.

**D**IXIMUS sectione precedente malitiam interdum ab actu externo communicari actui interno, ut conclusione 3. num. 6. & 7. declaratum est: hinc existimabit fortasse aliquis idem asserendum esse de bonitate, cum hæc ut plurimum, pari inter se passu procedant: sed aliter se res habet, ut jam ostendam.

I. Non eodem modo se habet bonitas actus externi, quo malitia.

Dico itaque quarto: bonitas nunquam primario residet in actu externo, sed in interno, à quo communicatur externo. Ratio hujus est disparitas inter actum bonum & malum: nullus enim actus est bonus precise ex objecto & circumstantiis, sicut ex iis est malus; nam licet quis sciat esse pauperem cum cui dat elemosynam, nisi tamen det ex affectu misericordie, seu sublevandi illius inopiam, actus ille non est bonus: si vero emittat sagittam sciens tali loco esse hominem, eumque occidat, actus est malus: ad quod non est opus ut intendat occidere hominem, imò actus est malus, licet intendat contrarium. Cujus ratio ulterior est, quam assignat S. Thomas q. 20. art. 2. ad bonitatem scilicet requiri integritatem omnium, bonum quippe ex integrè causâ, ac proinde finem etiam postulat honestum, ad malitiam autem sufficit singulorum defectus: unde plura secundum omnes ad bonum requiruntur, quam ad malum.

II. Bonitas in actu externo nunquam primario residet, sed in interno.

Ad actum bonum non sufficit quoddam verjetur circa objectum bonum, sufficit tamen ad actum malum, quod verjetur circa malum.

Dices: